









DISPUTATIO
INAUGURALIS MEDICA

DE

CORTICIS
PERUVIANI VIRIBUS,
AGENDI MODO, USU,
ATQUE ABUSU.

QUAM

DIVINA FAVENTE GRATIA

Decreto, Authoritate & Consensu Perillustrium, Magnificorum, Spectabilium, Prænobilium, Excellentissimorum atque Clarissimorum Virorum &c. Reverendissimi, Perillustres, ac Magnifici Domini Universitatis Rectoris, Perillustres, Magnifici, Spectabiles, Clarissimi & Excellentissimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini Decani, D. D. Seniorum, nec non Sacræ Cæs. Reg. Cath. Majest. D. D. Consiliariorum & Archiatorum, Professorum &c. adeoque totius Amplissimi D. D. Medicorum Collegii,

IN

ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VIENNENSI

Pro consequenda in eadem Facultate suprema licentiæ & Doctoratus Laureæ publicæ D. D. Doctorum disquisitioni subijcti,

JOANNES ABRAHAMUS WUDICH,

Carinthus Clagenfurtensis AA. LL. & Phil. Magister, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus formatus, nec non pro
suprema ejusdem laureæ Candidatus.

Anno M. DCC. XXVI. Mense Augusto Die

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Wolfgangi Schwendimann, Univ. Typogr.

DISCUTITUR
IN HOC LIBRO

CONTRA
PSEUDOPROPHETAS
ET ALIOS
QUI IN NOMINE
DOMINI AGUNT

AD CAUSAM
VERITATIS
ET SALUTIS
HOMINUM
QUI IN
HOC MUNDO
VIVUNT

ET AD
GLORIAM
PATRIS
ET FILII

AMEN
FINIS



PROOEMIUM.

Uanquàm tot , quin plures perspicacissimos, sagacissimósque rerum medicamentaliū , earúmque naturarum numeremus scrutatores, quorum ope abditissima etiam ipsius maris & terræ visceribus involuta nobis ante oculos ponuntur, & summa naturæ arcanæ vix non aded innotescunt , ut illa tota quasi exhausta videatur, nihilominus tamen non in profundo maris tantum, & terræ visceribus, verum in superficie etiam ejusdem extitisse, & existere adhuc, quorum natura nobis ignota & verè peregrina sit, inficiari haud valemus ; Cùm cortex arboris incolis Ganaperides , à Regno Peruvianus dictus cum

A 2 sex.

sexcentis aliis id abundè evincat. Quis enim illo-
rum unquàm pharmaci hujus præstantissimi, ac pla-
nè divini ab incolis casu & fortuito propè Loxam
inventi, nobisque hoc modo circa Annum Salutis
1649. primùm communicati, passim jam divulga-
tam somniavit virtutem febrifugam? & quis in ho-
diernum usque diem de ejusdem qualitatibus, &
modo operandi quidquam protulit, quod animum
veritatis avidum expleret? allaborârunt quidem
non absque exiguo temporis pretiosissimi dispen-
dio permulti sagacissimi, felicissimique practici,
sed, ut verbis Lucani de Nili origine canentis
utar: *Vincit adhuc natura latendi.* Siquidem
vix non singuli, quique virtutem hujus febrifu-
gam rimabantur, ob frequentiores, vehementio-
résque recidivas, vel alios etiam graviores morbos
usum ejusdem non nunquam sequentes, ac inter-
missas interdum vel rectiùs haud animadversas
morbô ablatô expectatas sensibiles vestigia cor-
ticis diversimodè prementes evacuationes, alias &
alias, imò non rarò adeò contrarias astruxe-
runt qualitates, operandique modos, ut reme-
dium hoc de se insons ac doli nescium antipy-
reticorum omnium, quot quot excogitavit an-
tiquitas, & chymicorum solertia conflavit, fa-
cile princeps munere speciali (utpote quod teste
Cla-

Clarissimo Ramazzino se solo debitè adhibitum
intervallatas felicissimè fugat, exterminátque fe-
bres (à divina beneficentia nobis condonatum,
ut sacram anchoram quidam amplectantur ; non
nulli econtra ob minùs felicem usum perversæ
theoriæ superstructum subsequenter eventum
tanquam dolosum ac deleterii quid sapiens con-
temnent, rejiciantque, ut idem Clarissimus Au-
thor in suis constitutionibus Epidemicis his ver-
bis notavit : *Variè profectò audit, ac variam ex-*
peritur sortem, vel in iisdem locis ac regionibus fa-
mosum istud febrisugum, ut eodem tempore laude-
tur ab his, culpetur ab illis, & modò probrosis,
modò magnificis titulis vocitetur. Et hinc etiam
est, quòd medici ipsi genuini illius usûs haud
satis gnari & ægrotantes præjudiciis falsis in eum
præoccupati & perterriti etiamnùm sæpe numero
ab eodem abstineant, atque sic antiquis metho-
dis longis, magisque incertis insistentes, divini
verè muneris famæ, & suarum fortunarum, ægro-
torum verò vitæ dulcissimæ frequentissimam fa-
ciant jacturam. Huic ergò triplici nempe à de-
negatâ corticis substantiæ, qualitatum, ac ope-
randi modi genuinâ cognitione productæ infir-
mitati, ut consulant Perillustres, Magnifici, Spe-
ctabiles, Clarissimi & Excellentissimi Domini,

Domini sanitatis Consiliarii, Inclyta scilicet Facultas Medica, pro Suprema Doctoratûs Laurea consequenda corticis memorati genuinam substantiam, qualitates, & agendi modum, unâ cum legitimo ejusdem usu ac abusu mihi inquirendum gratiosissimè contulit. Quare ad Ter Optimi Maximi Gloriam sit.



CA-



CAPUT I.

*De Origine , Inventione , Propagatione atque
Selectu Corticis Peruviani.*

§. I.

Cum in præsentiarum de Corticis Peruviani origine &c. agere instituti sit nostri, quidditatem Corticis in genere præmittere, minimè abs re esse duximus : est autem Cortex in sensu laxiori & minùs rigoroso omne illud, quod velut cutis carnem, ita hic substantiam contentam obducit, involvítque, seu cum Sapientissimo Philosopho Antonio Le Grand : *est pars exterior cujuscunque substantia eam fovendam, promovendam, & ab injuriis externis vindicandam investiens* : in sensu verò rigoroso & proprio est, quod substantiam ligneam prædictò modò ambit, ut cortex fraxini, quajaci, tiliæ &c. hujus etiam farinæ esse vulgò dictum corticem Peruvianum contra D. Spon (qui corticem prædictum vel alio nomine chinam chinam (ut inferius patebit) nuncupatum non corticem, sed radicem esse, fors per ipsum ly *China*, quod in hodiernum usque diem pro diversimoda ejusdem acceptione simpliciter scilicet, ac dupliciter & radicem & corticem designat, in errorem ductus affe-

afferuit) suspicamur cum Clarissimo Torto, Mortono, Dale, & M. A. Bollo mercatore Genuensi, qui in Epistola sua Italicè scripta arbores febrifugas Peruvianas vel Ganaperides dictas plerúmque omni cortice sine noxa spoliatas cerni notavit.

§. II.

Cujus autem substantiæ lignæ seu arboris pars exterior sit, authores ut Clariss. Dale innuit, hanc circa rem ob loci distantiam ulteriùs multum videntur variare, aliis hoc, aliis aliud affirmantibus, nobis præmemoratus M. A. Bollus cum plurimis aliis placet, dum eum arboris incolis Ganaperides vel Guanepides, Chinepides & Guanegides dictæ ac propè Loxam vel Lojam in Regni Peruviani provincia Quitensi sitæ spoliū esse existimant, quam in eadem prædicta Epistola sequenti modo depingit : *est arbor non procera in ramulos interim insigniter divaricata, folia prunorum rubrorum similia, nec minùs patula, neque magis acuminata, saporem tamen aromaticum spirantia habet, floribus etiam albis & cæruleis instar malorum punicorum eximie ornatur, probabilius tamen nullum fructum parit* (non obstante, quòd D. Jacobus Newton botanicæ aliàs gnarus pepitas peruvianas I. B. fructus hujus arboris esse velit testante Clariss. Dale) *ac si in pompam unice cum tantâ luxuriantium florum copiâ nata fuisset, semine denique, quod Hispanicè pipita de Quina audit, faciémque seminis cucurbitæ refert, uti & resinâ è ligno vel potiùs cortice, ut in plerisque aliis arboribus exsudante gaudet.*

§. III.

Cortex hic Peruvianus à Peru Regno & quinquina à provincia Quitensi, juxtà alios etiam gentiana indica ab ejus intensa amaritie & loco natali, vel cortex febrifugus & anti-quartium Peruvianum à virtute & effectu in quartana præstitis dictus, & casu vel ex curiositate (dum fortè unus altèrve gustavit, saporémque ejusdem subaustero amarum deprehendit,

dit, notiâ priùs habitâ, amaricantia esse febrifuga, vel necessitate ante plurimos annos teste eodem Bollo primùm inventus (dum fortè quidam rectè Paroxyfmo febrili vexatus (Cum febris tertiana ibidem aliunde epidemicè plerùmque grassabatur) inque horrore & rigore constitutus ex hoc aromatico, & subaustero-amaro cortice aliis deficientibus aliquantulum levamen (eò quòd aromatica calefaciant) haurire cogitavit, quo factò non tantum levamen, verùm omnimodam curationem assumptâ satis copiosâ quantitate ejusdem expertus pro febrifugo venditavit incolis (circa annum salutis 1649. tandem per comitem Chinchon (unde & pulvis comitissæ & chinæ chinæ nomen traxisse putamus) protegem, ejusque uxorem in Quitensi metropoli limâ, febris tertianâ epidemicâ priùs vehementer correptam & usu corticis suadente Hyspanò Loxæ tunc temporis præfessò, dictò citiùs liberatam patriam petentes Hyspanis & conatibus præprimis Cardinalis deLugo S. J. cum cæteris Collegii (à quo etiam olim pulvis Cardinalis de Lugo, Jesuiticus & Æis patrum audiebat) Italis præcipuè Romanis, indèque reliquis Europeis consentientibus experimentis innotescere & profeminari cœpit.

§. IV.

Omnem autem in Europam jam undique difeminatum corticem eundem esse non debere (sive dein ille secundæ arboris speciei, ut quidam volunt, seu quod congruentius, alterius cujuscunque arboris spoliū sit) ex Authoritate præstantissimorum virorum deducitur, ac primò quidem ex verbis cujusdam pharmacopolæ Collegii Romani (ubi aromatarios pharmacopolas ac medicos seriò monet, ut benè hac super re animadvertant, ne cortex, quem emunt, sit fucatus, sed germanus) constat, quæ hîc annexere non inutile erit:
fictitiū ejusmodi cortex ▽ à aloës lotus, qua amaritiem conciliat,
 B jam

jam non tantum Romam vehitur, sed & ad alia loca profeminatur. Et alibi in Epistola ad Clariss. Badum 9. Aprilis 1659. data hinc verbis: *repeto vestra Dominationi quotidie magis observari falsitatem corticis invecctam mercimonii causâ, adeoque duobus no- cumento fuit in regione Bedemontana, qui post octiduum ab ejus sumptione obierunt, & postea innotuit, damnosum istum corticem non esse genuinum, sed adulteratum, cujus XX. capsula Neapolim pervenerunt, & multa cistella Romam.*

§. V.

Ipse etiam Cardinalis de Lugo, cujus industriâ vis corticis Romæ primùm innotuit, (ut superius memoravimus) in Epistola ad eundem Badum scribens ait: *id autem mali est, quodd ob ejus usum frequentiore jam Romæ incipiat deficere, & is, qui venum exponi poterit, nescio, quamdiu immunis futurus sit à magnorum periculis, ut in aliis pretiosis & exoticis medicamentis accidit: item Vincentius Protospatarius Doctissimus atque Clarissimus medicus Neapolitanus in Epistola ad memoratum Badum disertè ait: duplicem observavi corticem, alterum illegitimum, cuiusatem verò, nescio, ad mercimonii augmentum à pessimorum quorundam sorditie invecctum, nigrescentem, non amarum, non friabilem, sed austerum & viscidum quid ex attritu dentium exhibentem, sapore non aromaticum, sed injucundum potius, ac insuavem, à cujus usu D. Alphonfus Gaglia tertianâ affectus post 40. dies summum obiit diem, & D. Mattheo Sacconi simplex Quartana duplicata fuit. Imò res ipsa præstantissimorum virorum Auctoritatem confirmare videtur, cùm dosin solennem 3ii juxta primam schedulam Romanam adultis olim præscriptam ad tot 3 augere videamus practicos, quod profectò vix fieret, si idem cortex esset; accedit, quodd diversi coloris, saporis, & consistentiæ cortex deprehendatur, quæ qualitates arguant indubitatam corporum diversitatem necesse est, eò quodd*

mediantibus his sensibus nostris externis in genuinam cognitionem substantiæ ut plurimum venire studeamus.

§. VI.

Quantum verò pro- vel obsit medicamento diversitas, cuiusque artem vel minimè callenti haud obscurè patebit, nam ubi v. g. Antidotus ipsa, quâ utimur, putrida effœta, malè electa aut spuria, vel genuina quidem, præ ætate tamen vel alio accidente corrupta adeò, ut nonnunquam vix decima pars genuina aut saltem vegeta reperiatur, fuerit, mirum non est, si effectus sequatur contrarius, cum defectus hic vix ac ne vix quidem arte ullâ præparandi aut ullâ methodò administrandi refarciatur, atque hinc non exigua etiam ratio pendet, cur ab uno velut sacra anchora amplectatur, ab altero econtra ut deleterii quid fugiatur; quare non tantum non abs re, sed vel maximè necessarium esse putamus, corticis Peruviani genuini Criteria adicere, ut vitæ & palato ægrotantium, nec non famæ ministrorum naturæ & pharmaci innocentissimi consulatur, nam dum spurium effœtum, & nescio quid indiscriminatim, locò genuini corticis propinatur, præterquam quòd nauseabundi aliquando ægrotantium ventriculi, majore quantitate ingrati pharmaci infarciuntur, & ipsa vita non rarò in discrimen adducatur, ut superius adductæ hystoriæ cum plurimis aliis testantur, sæpè numero etiam tempus adeò immensæ medicamento quantitati deglutiendæ par non admitatur, ut inferius patebit; adde, quod medici ipsi ratione dosis incerti manere cogantur, & non nunquam præter expectationem spe aliàs vix non certâ adeò frustrentur, ut ars, minister, & pharmacum non possint non famam, existimationemque amittere

§. VII.

Genuinus itaque cortex teste Mortono colorem cinnamomi visui referat, oportet, nigricans enim ab aloe aut alio

aliquo procul dubio mutuatus est, saporis satis grati, ac sub-
austero amari sit; injucundè verò amarus, aut intensè acerbis
pro supposititio habeatur. Ulteriùs genuinus odorem spiret
peculiari modò mucidum, attamen suavem, gratum, ac aro-
maticum, denique dentibus attritus vel, quocùnque alio mo-
dò fractus friabilis sit, non viscidus & glutinosus, quem ut-
potè liquore aliquo tenaci saturatum rejiciendum ducimus.
Ex his tamen omnibus olfactui in corticis genuini sinceritate
deprehendendâ maximè credendum putat idem Mortonus,
ita, ut, cui gratus hic ac peculiari modò mucidus odor desit,
qualemcùnque saporem vel colorem referat, semper suspi-
cionem incurrat. Et hæc est in compendio Corticis Peru-
viani genuini descriptio, quæ, quàm vera sit, ulteriùs: licet
non nemo Authorum controvertat) experimenta in nostris
plagis instituta confirmant; nam quotiescùnque hoc modo
descriptus, vel saltem præfatam descriptionem magis acce-
dens cortex ægris propinatur, majorem semper præstat effe-
ctum, minúsque spe suâ propinantes frustrantur.

§. VIII.

Ulteriùs circa selectum quædam adhuc notanda sunt,
& primò quidem corticem aliàs etiam genuinum malè subin-
de eligi, quod tamen sensu facilè deprehendi valet, sic cras-
sus & ligneus tactu, effoetus & annosus gustu (cùm verè o-
mni sapore, præsertim amaritie suâ intensâ careat) putridus ve-
rò visu, modò frangatur: 2dò. sedulò & magna cum dili-
gentia scrutinium hoc fieri debere cum Mortono volumus,
quippe ex malitiâ & avaritiâ mercatorum atque aromatariorum
mercimonii causâ sæpiissimè ad parvam quantitatem ge-
nuini ac vegeti corticis pars multò major spurii, effoeti, ac
malè electi adjicitur, qui fucus haud ita facilè detegitur, ubi
in pulverem cortex redigitur. 3tò. notandum, non nullos &
nostrò judiciò non immeritò corticis collectioni determina-
tum

tum & certum arboris situm ac tempus præfigere, quod ex Georgii Baglivi Med. Theor. in Romano Archilyceo Professore sapientissimo in praxeos Med. L. 1. p. 59. (ubi rationem reddit, quòd febres chinâchinâ jam non amplius ita curentur, ut olim) constat, quæ sic sonant. id autem evenire nostris temporibus magis, quàm elapsis, non aliâ de causa pendet, nisi quia hic cortex non colligitur ab arbore, ut antea fiebat, colligi enim debet tantummodò sole existente in Leone, & ab arboribus, quæ meridiem versùs positæ sunt, uti mihi sanctè narravit duobus abhinc annis Romæ quidam Pater Dominicanus Americanus, qui recens ex America venerat Romam: quod si indiscriminatim colligatur quolibet mense, & à quibuscunque arboribus, vim febrisugam nunquam habebit, ut idem pro infallibili mihi retulit apud Indos Americanos experientiâ.

CAPUT II.

De Corticis Peruviani viribus & modo agendi in genere.

§. I.

EXpositis in præcedenti origine, inventione, propagatione, atque selectu Corticis Peruviani, hoc in capite vires & agendi modus inquirendi veniunt, quæ ut reliquorum pharmacorum (licet juxta universam R. R. scholam omnia ex triplici fonte desumpta corpora ex particulis minimis sint conflata, quæ (secundùm illud hypoc. Corporibus inesse acidum, Θ sum &c.) ratione figuræ, magnitudinis &c. diversitatem sapiunt, atque in illarum, ope materiæ subtilis & globulorum cœlestium, variâ figurâ, variâque ac diversimoda configuratione, motu, situ, texturâ, combinatione, & re-

specū , seu mutuō in se invicem ordine omnis motus primario-
rum principiorum conjunctio, nec non virtus omnis consistat)
ut pulcherrimè poëta

Mens , Mensura, quies, Motus, positura figura,
Sunt cum materiâ cunctarum exordia rerum.

Quæ inquam , non ab his exilissimis , cū sensus omnes fu-
giant, *nihil enim volitum, quin præcognitum*, sapientissimus ait
Philosophus) sed ab exortis unâ cum iisdem viribus per co-
lorem, saporem, odorem, consistentiam, cæterâsque quali-
tates sensibus magis subjectas secundas & tertias dictas, item
locum natalem, durationem, tempus collectionis, signatu-
ram, effectum, usum inëquentem, Chymiam &c. nobis ma-
nifestatis, ita petuntur, ut à qualitate hac vel illâ excedente,
hujus vel alterius determinati generis particularum, & inde
dependentium facultatum præpollentia in hoc vel illo cor-
pore prædicetur, hinc est, quòd à sapore plus minùs acido,
copiosiore vel pauciore particularum pungentium ac
scindentium quantitatem, & majorem vel minorem his cor-
respondentem virtutem remedio illi tribuamus, uti succum
citri vel acidum quodcūque lac cogere & coagulare vide-
mus, non obstante, quòd alias etiam particulas secum vehat,
atque hominem sanguineum, biliosum, melancholicum, aut
phlegmaticum declaramus, licet quilibet de quolibet par-
ticipet.

§. II.

Similem igitur ob rationem, cū corticem Peruvia-
num præprimis amarum & friabilem, superiùs asseruerimus,
eum pariter rigidioribus oblongo-acutis secundum super-
ficiem minùs sese tangentibus, porisque undiquâque dotatis
præ cæteris constare particulis judicamus, tales verò potiùs
quam alias saporem hunc producere, ex eo satis rationabiliter
de-

deducitur, quod sapor hic facilè & minùs leviter organum afficiat, difficillimè verò abigatur, quod fieri nequiret, nisi acutâ, oblongâque earum conformatione pori exteriores absque difficultate penetrarentur, atque sic altius sese insinuando superficies fibrillarum seu papillarum linguæ & faucium attingerentur, ad quod præter prædictas particulas aptius nihil (Precipue dum tenues, minùsque compactæ & cohærentes sunt) invenire licebit. Conditiones autem has in cortice Peruviano peculiariter adesse, tota ejus substantia in pulverem tenuissimum seu Alkohol redigibilis, ac ut ut friabilis abunde testatur; friabilitatem enim particularum rigidiorum præsentiam & rariorem scilicet ac superficialem tantum cohæSIONem, & consequenter majorem porositatem, majorémque cæteris paribus pressionis atmosphæræ resistentiam, seu levitatem denotare, nemo est, qui ignorat, hinc sensus ille amarus nec non interstitia ac poros fibrillarum replendo; eas ad latera comprimendo, situm diametralem invertendo, atque sic abbreviando, subaulsterus ac adstrictivus aliqualliter procreatur; ulterius hoc nos docet quotidiana experientia; vix non omnes enim, qui remedio hoc utuntur, de faucium adstrictione, difficili deglutatione, ac per æsophagum in ventriculum depressione, etsi syrupo quodam vel alio vehiculo superflue commistum sit, conqueri solent. Porositate tandem suâ ad instar spongiæ humidum imbibit, quo mediante particulæ etiam minimæ corticis majorem in molem excrescunt, hinc mirum nulli videri poterit, quòd absumpto illo, quo aliàs viæ lubricantur, particulæque irritantes involvuntur, & diluuntur, sapor ille molestus partibus gustui destinatis semel infixus diutius inhæreat, atque perseveret, quod clarissimè exèmplò mechanicò demonstrabile est, acceptò enim clavò ligneò rigidiori oblongo-acutò exsiccatoque, brevi ligni ad eundem infigendum præparatione is facillimè etiam intru-

intrusus & humiditate attractâ tumidus redditus vix ac ne vix quidem extrahendus est. Huic ergo modò non ab simili præfatum pharmacum saporis sui qualitates exserere satis, ut opinor, patebit.

§. III.

Explicatò jam ad primum corporis contactum corticis effectum, secundùm vias suas ulteriùs pertranseundas ille ruminandus venit: medicamentum enim in fluida simul ac solida, etsi diversâ multùm ratione agere indubitatum videtur, quæ diversitas uti in omnibus aliis non solùm à differenti resistantia vel motu, sed etiam ab inæquali particularum, pororùmque corporis aggressi configuratione (cum quibus actio & reactio mirum in modum variatur) dependet, quod sæculò nostrò clarissimus Boerhave in tractatu de viribus medicamentorum exemplo de radice gialappæ, adducto sapientissimè exhibuit. Particulæ itaque hæ prædictæ scilicet rigidiore oblongo-acutæ & porosæ intrò assumptæ solidas partes (in quarum interstitia ob suam figuram, continentium & contentorum motum perennem hinc inde facillè impingunt) cuspidibus suis vel ab extra, si porum proportionatum non inveniunt, vel ab intra, si ad talem pertingunt, occupant, earùmque situm invertunt: partibus verò fluidis ob poros suos copiosiores, quibus pollere præter friabilitatem, locum natalem, & tempus collectionis calidissimum (quæ duo in selectu corticis ad hoc, ut ille virtutem completam exserat, specialiter attendenda esse, ipsi incolæ teste Baglivo in capite antecedenti citato,) haud alia procul dubio ratione quàm propter porositatem ejusdem id observantes volunt) nam quò calidior locus & tempus, eò major motus particularum confusus à copiosiori materiæ subtili influxu dependens observatur, qui dein motus non tantùm majora requirit spatia, sed & efficit, quod manus dextra plerorùmque hominum obil-

ob illius frequentiore usum, atque fluidorum copiosorem influxum major sinistrâ satis evincit, quæ spatia postea majora ampliorum pororum nomine veniunt. Cæterum porositatem corticis præter ejusdem friabilitatem, locum natalem, & tempus collectionis satis confirmant electuaria & Boli exinde confecti, qui licet copiosiori liquido conficiantur, tamen citissime exsiccantur, quod est evidens signum, fluida sese intra poros corticis occultare.

§. IV.

His itaque præmissis merito deducitur, duplici corticem gaudere virtute partium scilicet solidarum tonum restituendi, fluidarumque crasin restaurandi: quæ verò, ut benè elucescant, necesse videbitur ut toni, crasisque essentiam examinemus. Constat enim, à provida natura & solida & liquida taliter fuisse constituta, ut uniuscujusque actio ipsi determinata aptè & commodè exerceri queat, quæ constitutio ita ordinata apud veteres temperamenti ad justitiam nomine donatur. Hæc verò ut conservetur, proportionata ad invicem, & æquabilis resistentia, ac nisus, nec non motus huic consimilis præ aliis requiritur: ista ergo nos docent, solida generaliter tantum dupliciter pati, tono eorum adaucto nimis vel imminuto, à quo dein æquilibrium perit, ac resistentia, nisus, ac motus partium plus solito fortior vel languidior causatur. Ex quibus apparet, medicamenta his opposita duplicem etiam facultatem possidere, qua vel in partibus solidis (quæ nihil aliud, quàm fibrarum congeries sunt) motum oscilatorium beneficio levis fibrarum strictionis adaugent, vel illum relaxatione earum imminuunt, à qua dein fibrillæ elongantur, uti ab illa abbreviari solent, & sic huic omnia ∇ sa, minus acria, mucilaginosæ & pinguiæ particulis ramosis & flexilibus prædita, verbò laxantia dicta subveniunt, illi verò mera ∇ ea, Θ ina, Φ ea, rigidioribus oblongo acutis,

scindentibus & pungentibus portionibus provisa vulgò stimulantia auxiliatrices manus offerunt. Cùm itaque corticem nostrum ultimò notatis conflari particulis jam priùs statuerimus, haud difficilè eruitur, quòd spiculis suis motum solidarum mediante suâ in poros & interstitia insinuatione profundiori ac hinc orta irritatione pro- & commoveat: hoc ulterius auctoritate præstantissimorum virorum per experimenta & effectus usum corticis explorantium corroborantur, sic enim Ramazzinus ait: *Usum chinacbinæ valdè proficuum esse ad necandos vermes expertus sum, quod præstare ob insignem amarorem, quem possidet hic cortex, non abs re crediderim. Quod Boërhaavius in tract: mox citat: cap: de anthelmint. paulò clariùs explicat inquires: Amara illa, quæ tanquam anthelmintica appellari & commendari solent, casu solummodò prosunt, cum nempe fibræ intestinales sint minùs debiles ad nidos vermium expellendos, vermes autem nequaquam necant amara illa. Unde non obscurè patet, virtutem corticis peruviani tanquam corporis amari esse restituendi tonum: quod Boërhaavius implicite & æquivalenter, hoc Mathæus Pallilius explicitè & realiter de illo innuit, cujus verba hæc sunt: Chinacbinæ usum nunquam præcipio, nisi in febribus tantùm & in fine earundem, idque faciendum jubeo expurgato benè corpore non ad frænandam, sistendamque febrim, quod irrideo, sed ad roborandum suâ amaritie stomachum morbi diuturnitate relaxatum, atque etiam ad restituendum primævo vigori sanguinem jam vapidum & relaxatum. Item Baglivus p. 389. Eâ indicatione utor, ut tonum, vim, ac robor det, ac restituat solidis ac fluidis longò morbò relaxatis, inertibus vapidis &c.*

§. V.

Explanato jam mentionati pharmaci in partes solidas effectum ad alteram ejus virtutem perveniendum erit, hoc enim in pollinem subtilissimum redactum, ac in primis viis magis-

ma-

magisque contritum unà cum chylo ad interiora penetrans &
sic ad liquida perveniens crasin illorum perversam & labefa-
ctatam restaurat, si enim humores in concreto spectentur,
verè vix non omnes fluidorum morbi (si quantitatem exceden-
tem vel imminutam excipias) ad generaliore hanc divisio-
nem, nimiam nempe eorundem fluiditatem vel tenacitatem,
& sic excessivum motum, & quietem reduci poterunt,
& cum crasis in certa inter se particularum proportionem &
harmonia ad motum & exinde sequentem usum peragen-
dum consistat, exsurgit hinc, quòd duplici remediorum ge-
nere ad generaliores humorum qualitates morbosas corri-
gendas provisum esse medicum oporteat, videlicet, ut ni-
mia particularum cohæsiō & ex ea ortus lentor resolvatur,
vel ut excessiva illarum resolutio & tenuitas, atque ab his
procreata in Motum inclinatio inhibeatur. Hanc etiam ob
causam priori affectui omnia ∇ sa, Θ ina, volatilia & fixa,
seu partibus pungentibus, scindentibus, tenuioribus facilè
divisibilibus & densis constantia, attenuantia sive resolyentia
dicta, sequiori verò terrea, gelatinosa, farinacea, id est ex por-
tionibus porosiss, hamulosiss, & viscerum vim contraçilem
leviter penes stimulantibus conflata, incrassantia & conden-
santia nominata obicem ponunt. Redeundo igitur ad mate-
riam nostram particulariùs tractandam, apertè videtur, ean-
dem repetitis suis acutis, porosiss inter se minùs æqualiter
cohærentibus particulis non tantùm nissum solidarum in fluidas
(quo mediante humorum tenuiorum tam per poros intrò
foràs spectantes vasorum, quàm per tubulos, canales ac
vascula colatoria glandularum secretio & expulsio facilita-
tur) firmare, sed & in ipsissimis liquidis minoris molis, &
motui magis aptas particulas in se recipere & imbibere, qui-
bus dein receptis & per consequens imminutis, illæ medi-
camenti ob laxiorem pororum conformationem spongiæ instar
ingrandescunt, & sic non solummodò crassiores adaugent,

sed & istas impedimenta removendo magis inter se combinant, ideoque massæ fluidæ per repetitas prægressas fermentationes & motus ferociore in minima vix non jam dissolutæ consistentiam firmiorem ac compactiorem reddit, & sic restauratâ ipsius crasi eam etiam accedentibus licet heterogeneis quibusdam insensilem & ebullitionibus p. n. instituentis minimè idoneam efficit.

§. VI.

Hæc jam ut in veritate magis nitantur, usum corticis subsequentes œconomix nostræ actiones perscrutari debere, consultum ducimus, quis enim in praxi leviter versatus ignorare potest, post adhibitam medicamento hujus dosin competentem vix non semper manifestam observari evacuationem aliquoties vestigia corticis prementem, majori verò ex parte post aliquod temporis intervallum & recuperatis naturæ viribus institutam ut per alvum, vesicam, nec non per poros universos diaphoreticos modò, si corpus dispositum servetur, ubi excrementa ut plurimum viscosis, crassis, crudis & acidis particulis commixta, multùm immutata & alterata videntur, quòd ex facibus alvinis, urinâ & sudore acidum spirante colligere licebit, similes autem segregationes fieri restitutò modò pressoriò fibrarum, nec non debitâ humorum resistentiâ & crasi (quibus secundùm naturam se habentibus heterogeneum ab homogeneo separari, ac corpus morbosum eliminatâ materiâ peccante in pristinam sanitatem transferri solet) nemo est, (inquam) qui ignorat, ut ut verò hæc fiant cortice aptè & moderatè assumpto, sic, si in assumptione illius excedatur, præfatis actionibus in corpore ultrà modum adauctis hominem in statu morbosum priori pejorem conjicere potis est; nam similiter fibræ in cincinnos (quibus viæ indebitè occluduntur) quasi abire coguntur, crassitie penes humorum ultrò citròque inducâ

ductâ liquida ad motum convenientem indisposita & inepta redduntur, ita ut non rarè cachexia, hydropes, icteri, Rheumatismi & alii his congeneres morbi sequantur, qui sæpissimè solidarum partium tonum strictum nimis, fluidarumque dyscrasiam nimiam incrassatione promotam pro causis agnoscunt.

§. VII.

Cùm autem præter præstantissimorum Virorum auctoritatem, & chymicorum accuratiores observationes (utpotè qui referente doctissimo Bado non modò extracta & tincturæ, sed etiam Θ es, ω tus, imò ∇ am stillatitiam è cortice obtinuerunt) odor quoque aromaticus luculenter demonstret, Chinam Chinam non tantùm assignatas modò rigidiores nempe oblongo-acutas, porosâsque, sed etiam aliarum figurarum variè inter se combinatas & connexas continere particulas, uti superius jam mentio facta fuit, hinc minimè mirandum, tam diversas circa corticis agendi modum exortas fuisse sententias, quod ex opinionibus perspicacissimi Antimi Conigii, Gaudentii Brunacii, & Rolandii Sturmii desumere licebit; hi enim ob odorem aromaticum naribus acrius exhibentem, atque amaritiem linguæ & faucibus penitiùs imprimentem corticem partium tenuium esse, & attenuando ac di- vel resolvendo agere crediderunt, cùm similibus (si sese altius insinuare valeant) motum solidarum promovendo particulæ, attritu faciliores comminuantur, ab invicem separentur & dividantur. Verùm consideranti subito patebit, hoc nobis minimè contrariari, cùm particulæ hæ antedictis non tantùm in præstando effectu non prævaleant, verùm etiam nec virtuti antè adstructæ officere, quin potiùs eam magis, magisque actuare & promoveri, præparando scilicet humores comminutioni plùs obnoxios, magisque mobiles partibus suis tenuioribus, utèò faciliùs vel excludantur

dantur vel poros corticis subintrent, & sic crassioribus solum relictis massa compactior evadat.

His minus adhuc Rochi Cafati adversatur iudicium adstruens cortici vim narcoticam, vel potius figentem, nam ablatis fluidi tenuioribus & compactis ejusdem crassioribus portionibus (licet causa morbifica eliminata non sit, sed pars illius etiam major remanserit) ob defectum competentis liquidi, & ob humorum firmiorem compagem agere, & turbam excitare haud valebit, sed quasi fixa hærere cogitur, quod idem de protospatarii fermenti seu causæ morbificæ extinctione intelligendum est.

§. VIII.

Antequam autem capiti huic finem imponamus, quædam adhuc exhibenda esse censuimus, quæ ad futura accuratius ruminanda planiorem struerent aditum. Postquam enim cortici duplex adstructa fuit facultas rationibus, experiientiis & autoritate corroborata stimulans una & movens, altera stimulum suppressens & figens, sic hæc invicem sibi contrariari cuidam videri possent; sed si perpendatur, ista peragi in duplici ac longè differenti subiecto, facillimo negotio ea combinanda erunt, præcipuè cum indubitatum sit, sæpissimè morbi fomitem in viscerum tubulis aliquantulum relaxatis stagnando hærere, in quibus tamen ille ob augmentum in dies susceptum retineri nequit, atque sic acmin suam adeptus in massam circulantem regurgitat, vel naturæ conamine illuc protruditur, ubi propter particularum heterogeneitatem, effervescentiam instituere, motui intestino stimulum addere, partes in minores disrumpere, & hinc totius liquidi compagem resolvere aptus natus est: cum igitur multoties morbi à causarum suarum essentia tantò distent, ut primo intuitu contrarietatem includere credibile foret, minimè admiratione dignum erit, quod remediis adhuc tam sufficientibus (quibus

bus causæ & eff. Qui inde exsurgenti æqualiter & simultaneè impugnare valeremus) destituamur , etsi absque similibus infirmitates haud certò & tutò abigi possint : hac etiam ratione ducti multi in arte medica aliàs Excellentissimi omnem specificorum existentiam irridendam esse volebant ; si verò consideramus decantatum nostrum medicamentum tot fossis , nec non armis suis acutis provisum hostem simul & semel ex utrâque parte insultare , laudabilissimum illud ab æterno omnium creatore nobis condonatum pharmacum hoc specifici nomen , si ullum unquam aliud (cum in definiti generis morbis non solùm effectum impediat , sed & causam ejus locò deturbet) promereri sentimus : quæ fusiùs tractanda nobis caput de usu & abusu corticis ansam suppeditabit.

CAPUT III.

De Usu & Abusu Corticis Peruviani.

§. I.

Viribus Corticis & ejus agendi modò priori capite explanatis , circa usum illius tria præcipuè considerata sese objiciunt : ubi scilicet , seu quibus in morbis conveniat ? Qualiter (id est) an in substantia simpliciter & solus , an prægressa præparatione ac aliis commixtus ? ultimò tandem an prægressis medicamentis quibusdam , vel quo demùm affectûs tempore propinandus sit ? Cùm verò de prima tantùm harum quæstionum in præsentì agere proposuerimus , reliquas duas ad caput subsequens demandamus : attribuimus autem pharmaco huic specifici nomèn , cùm causæ & effectui simul resistere valeat ; quia verò contraria contrariis curari solent , ideò tales assignandi erunt morbi , quorum causa in humorum certà in parte stagnatione ac congestione , & hinc fibrarum nimia

nimia extensione, & inde dependente relaxatione, effectus econtrà in liquidorum motu intestino adaucto, resolutione, & crasi labefactata consistit. Verùm si tam Chronicorum, quàm acutorum Æthiologiam spectemus, sic præfatam expositionem febrium maximè repræsentare videtur; hanc verò corticem deturbare posse, præter rationes, non solum unius vel alterius viri (ut ex Clarissimi Restaurandi verbis, quæ ita sonant: *id verò addidero, nunquam me hoc remedium citrà successum exhibuisse, hoc est, ejus ope semper curatas fuisse febres*: item ex Nigri soli professoris Ferrariensis sapientissimi libro, titulò planè simili *febris Chinâ Chinâ expugnata* munitò colligere est) autoritas suadet, verùm vix non tota medica cohors Hystoriis & experièntiis convicta approbat, confirmâtque, uti innumera undique scripta luculenter testantur: quandoquidem nullus ab inventione remedii fuit, qui de febribus scribens siluerit de cortice, & eum titulo decantati febrifugi non honestârit adeò, ut mos etiam inde apud omnes fermè Europæ nationes invaluerit, nihil notiùs & nihil certius, quàm febres Chinâ Chinâ depelli, atque hinc oritur, quòd in hodiernum usque diem vulgò Sieber-Kindè passim audiat.

S. II.

Licèt autem Corticem Peruvianum maximi esse usûs in febribus asseruimus) non de omnibus tamen simpliciter (et si non desint, qui cum Dolæo febres omnes unâ cum earum causâ non nisi secundùm magis & minùs, prout videlicet massa sanguinea à fermento febrili plùs minùs activo turbatur, differre contendant quod nec nos negamus) intelligendum volumus, eò quòd sedem diversam earum habeant fermenta; nam non sufficit seligere medicamentum de se conveniens morbo & causæ, sed requiritur ita dispositum, ut immediatè vel saltem mediatè in illos agere valeat; quod medicamento-

rum

rum præparationes & aliæ quàm plurimæ instantiæ evincunt, Inter has autem dispositiones non infimum est debita approx-
imatio remedii ad causam morbificam & morbum, seu suf-
ficiens præsentia, quâ denegatâ nullum vel saltem tardio-
rem edunt effectum, uti in tumoribus profundioribus non ob-
scure observandum, qui eâdem existente causâ, & eodem me-
dicamento planè non, vel difficiliùs & tardiùs resolvuntur,
discutiunturque superficialibus seu minùs profundis. Quare

§. III.

Ut circâ hanc rem mentem nostram magis explicemus,
febres (prætereundo tum V.V. cum R.R. divisiones minùs
huc facientes) dividemus in eas, quæ à fermento continuò
circulante cum massa sanguinea oriuntur, & in eas, quarum
causa movens sanguini suis temporibus communicari solet;
primi generis sunt omnes febres continuæ tam continentes,
nullâ scilicet vicissitudine exacerbationis aut remissionis no-
tatæ, & à principio ad finem usque unâ veluti accessione si-
ve æquali semper, sive semper crescente aut decrescente pro-
tensæ, quàm remittentes, hoc est, illæ, quæ non tali con-
tinuitate ut priores, sed simili tamen, quæ licet jugiter per-
severet, aliquas nihilominus patitur identidem obscuras, nec
certò ordine recurrentes exacerbationes seu motiunculas,
aliquàsque pariter suscipit remissiones, sed eas quoque nec ad-
modum conspicuas, nec certò prorsùs ordine redeunt; his
annumerandi etiam veniunt febres symptomaticæ, seu
illæ, quæ à partium solidarum gravi læsione, vulnere, vel
ulcere &c. ortum ducunt, eò quòd, quamvis focus Massæ
sang. non insit, inde tamen proveniens materia corrupta fer-
menti febrilis naturam induat, & ei perpetuò communi-
tur. 2di. verò generis sunt febres omnes intermittentes, si-
ve discretæ seu legitimæ, quæ nimirum accessiones suas di-
stantes habent, uti veras & legitimas intermittentes tam er-

raticas, quàm periodicas decet, five nothæ seu subintran-
tes sint, hoc est, quando, priùs quàm unus Paroxysmus de-
ficiat suaptè naturâ finiendus, subintrat alter. Huc referi-
mus etiam febres continuas non simpliciter, (de quibus
anteà) sed periodicè remittentes aliàs etiam proportiona-
les dictas, cum in exortu suo magis ad intermittentes spe-
ctare videantur, licèt in progressu continuas & acutas æmu-
lentur, cùm eas ex subintran- (quæ nihil aliud sunt, quàm
plures intermittentes, nunquam sufficienter judicatæ) com-
poni putemus. His præmissis,

§. IV.

Dicimus Authoritate celeberrimorum Prædicorum, hy-
storiis hinc inde passim prostantibus, & ratione ipsâ edocti,
corticem Peruvianum duplici suâ virtute præcedenti capite
statuta, omnibus convenire febribus intermittentibus, seu
quæ fermentum suum non in perpetua activitate, ac cum
massa circulante commixtum agnoscunt, quomodocunque
intermiserint, & quocunque titulò saluentur, hoc est, tam
legitimis quàm nothis, simplicibus, compositis, erraticis,
periodicis, benignis quàm malignis juxta Mercatum perni-
tiosis, imò & ipsis continuis periodicè remittentibus, quam-
diu in continentes essentielles non migraverint, nam omnium
harum causa, five dein citrà five ultrà M. S. situm suum
habeat, ad tempus in partibus quæta hæret; sicut autem
fieri nequit, ut aliquid sanguini de se communicandum non
communicetur, nisi ob suam crassitiem, ac meatuum angu-
stiam impediatur; si verò simile quid accidat, ac novum sen-
per transmittendum accedat, quod tamen transmitti non po-
test, sic major fit materiæ peccantis coadervatio, quæ mea-
tus secundum omnem dimensionem distendit, distendendo
fibrillas ultroneè elongat, in quo ratio formalis relaxationis
consistit, uti in urinæ retentione non rarò observatur, via
tan-

tandem materiæ huic sternitur, qua mediante cum sanguine conjungi solet, dum illa partim ob copiam, partim ob acrimoniam à longiori mora contractam fibras ad earum contractionem stimulat, ac partes adjacentes ob molestem compressionem ad majorem renitentiam excitatæ tubulorum repletorum exinanitionem promovere conantur, fermentò jam in circulo cum sanguine ita conjunctò mixtionem ejus turbat, ætherique influxum minùs consuetum procurat, & sic motum inordinatum ac solitò vehementiorem inducit, unde attritus major, particularum disruptio & humorum resolutio dependent.

S. V.

Adductus mox febrium intermittentium fiendi modus magis elucescet, si symptomata in iis vix non semper observabilia ac decursu Paroxyismi sibi invicem subsequencia in considerationem trahantur. Cui enim incompertum erit, affectu simili laborantes ingrediente primùm febrili insultu, frigore, horripilatione, rigoribusque variis torqueri, atque pulsum eorum in parvum, debilem ac celerem mutari, quæ omnia massam circulantem fermentò illò sylvestri inquinatam, & hoc mediante eâ partibus membranosis, ac nerveis communicatum esse, significare videntur, hinc membranæ nervæ stringuntur, & convelluntur, ita ut non solùm solidorum, sed & fluidorum motus inhibeatur, & sic vasa coarctantur, extrema palleſcunt, ac livescunt, pulſus parvus, debilis, ob continuatum tamen stimulum celer redditur, nec non frigus, horror, motus tremuli, rigores lancinationesque accedere solent: dum verò motu adhuc superstite atque præternaturali illa musculorum conquassatione acor fermenti illius aliquantisper subigitur, & spicula ejus invertuntur, sic præfatæ strictiones in aliquid relaxantur, tonusque partium restituitur, humores verò non ita compressi elaterem suum suscipiunt,

& ita motu mutuo adaucto calor, æstus febrilis, pulsusque major inducitur: protracta tandem reciproca illa actione per temporis spatium particulæ fermenti febrilis tunc circulantibus taliter præparantur & configurantur, ut illæ simul cum materia retenta ob suppressam antecederent insensibilem transpirationem poris & tubulis prius iterum apertis & relaxatis facili negotio in declinatione separari ac eliminari possint, unde sudor copiosus, vel quantitas urinæ saturatæ magna ut plurimum secedunt, quibus peractis febris sponte suâ intermittere, vel si integrum secretio non institueretur, remittere solet.

§. VI.

Ne tandem phænomenorum ultimum sicco pede prætereamus, cur nempe accessiones febriles statutis redeant temporibus? sic paucis tantum (cùm de febribus expressè agere animus non sit) mentem nostram exponemus. Quis enim ignorat cuilibet vix non individuo particularem humorum ac ætuum idiosyncrasiam, nec non solidorum ad motuum dispositionem inesse, quod pulsuum naturaliter se habentium in innumeris subjectis exploratorum differentia luculenter commonstrat, ex qua ipsa colligere licet, in uno citius quàm in altero, & consequenter intra spatium 24. hor. sæpius vel rarius sanguinem circulum suum absolvere, cùm verò cruor, quoties cor pertransit, novâ materiâ ex diversis conflatâ humoribus per ductum thoracicum apportata imprægnetur, cui causa remota saltem secundum communem Authorum opinionem inhærere solet, sic minimè mirandum, quòd in hoc lateraliter obstructi tubuli ob reiteratam particularum appositionem citius quàm in alio plenariè occludantur, post qualem occlusionem tandem fibræ propter nimiam tensionem, ac contenti acrimoniam stimulum perferunt, ut sic operum maiori in copia advenientium, & inde orta canaliculorum constitutione materia ibidem stagnans maiori ex parte ulte-

ulteriùs propellatur, atque iterum circulantì massæ conjungatur: sicut igitur prædictæ partium instæ atque habituales dispositiones in eodem vix non semper remanent statu, ita facilè etiam similis obstructio ipsissimâ horâ ad acmìn suam pervenire potest: his accedit, fibras in isto magis, in illo minùs tensioni aptas, & hinc sensiles esse, atque in hoc promptos & agiles existere, ubi in alio segnes ac torpidi observantur. Quibus jam benè consideratis ritèque combinatis ratio exsurgit non solùm, cur febris intermittētis paroxysmi eodem quasi semper tempore redeant, sed etiam quare hic quotidie, ibi triduò, quatrìduòve accessiones fiant? quam ob causam etiam V. V. secundum temperamentorum differentiam diversos febres intermittētes observare typos non ineptè statuerunt.

§. VII.

Cùm ea, quæ de febribus intermittētibz ad scopum nostrum necessaria videbantur, sufficienter notaverimus, ad alteram febris speciem nos convertimus, quæ videlicet causam suam in continuo motu cum M. S. perseverantem agnoscit. Cùm verò hæc, sive continens essentialis, sive symptomatrica sit, tonum fibrarum plùs solito adstrictum efficiat, (licet non negemus, similem in sanguine resolutionem produci à febribz, imò demus majorem etiam ipsìs intermittētibz) nihilominus cortex noster parùm proderit, eò quòd illi ob vasorum majorem expansionem sufficiens aditus adimatur; fermentum enim febrile liquori circulantì perpetuò confusum, eundemque absque interruptione turbando motum illum tumultuarium semel inchoatum continuò fovet, quem amplius spatium exposcere, ratio & experientia suadent: sic itaque vasa distenduntur, oscula in illa obliquè hiantia, ductusque adjacentes præcluduntur, & comprimuntur, hinc debita medicamenti approximatio ad partem affe-

impeditur ; quare non solum in fluidis, nullum præstat effectum, sed etiam in solidis stimulo suo atoniam adauget, ut illò adhibitò febres modò dictæ plùs increſcant, quàm imminuantur ; ista autem nullatenus ad continuas accidentales seu periodicè remittentes applicare cogitamus, in his enim, licèt non totalis sequatur apyrexia, notabilis tamen imminet remissio, & per consequens minor osculorum in vasa hiantium, canaliculorùmque contiguorum præclusio & compressio, unde saltem secundùm aliquam portionem cortici intrare, vimque suam in morbum exercere licebit cum successu, præferim cum in causam morbificam acuminatis suis particulis uti in simplicibus, magisque perspicuè intermittentibus agere queat. Quam sententiam unà cum tot, quin pluribus hystoriis præstantissimorum Sydenhamii, Mortoni, Torti & aliorum confirmat autoritas.

§. VIII.

Ne verò quispiam in arte minùs exercitatus continuam essentialem pro accidentali & econtra emat, vel vendat, præcipuè cum & in priori (uti superiùs jam adduximus) aliquoties etsi irregulariter ac matutino ut plurimùm tempore remissio quædam observetur, sic operæ pretium esse existimavimus signa quædam, quibuscum vera morbi idæa penetrari possit, ab exacerbatione & remissione petita adjicere. Necesse enim erit, ut accessiones sibi invicem respondeant, typò periodicarum intermittentium verò, & propriò, illæque non per meram incalescentiam, capitis dolorem, gravitatem, vel per quandam pulsus elevationem aut turgentiam sensim obrepentem, & potiùs in factò, quàm fieri conspicuam se prodant, sed per motum aliquem adstantibus ipsi sensibilem ac observabilem nempe per frigus utut leve aut breve extremorum vel nasi, sive per horrorem, aut horripilationem, per unguium livorem, oscitationem, pandiculationem aut dolorem dorsi, vel membrorum lancinantem, per internam quan-

quādam sensationem! auræ alicujus æmulam, verbō per quamlibet motionem motibus intermittentium analogam, quæ introductionem fermenti indicaret. Quod & confirmare potest aliqua simul incidens vomituritio, vel nausea, ac in declinatione sudoris aut urinæ copiosioris excretio, remissiones verò, ut sint clariores ac magis sensibiles, nec non tranquillitas pulsûs conspicua, calor blandus, parûmque mordax appareat, sic fermentum non in continua activitate cum sanguine esse, & febrim subintransientium sive accidentalium continuarum speciem referre perspicitur; quo in casu cortex cæteris illum non contraindicantibus exhiberi poterit. Secus verò si notæ febriles sint potiùs in linea caloris, quàm frigoris, irregularis atque ante remissionem nulla notabilis per excretoria eliminatio instituat, si remissiones sint obscuriores, nullâque symptomatum succedat quies: sic morbum inter febres continuas numerari, medicamentûmque, de quo sermo fit, minùs rationabiliter porrigi posse judicandum.

§. IX.

Descriptâ sufficienter febrium origine, nec non corticis operandi methodo, jam hujus vis specifica in periodicè recurrentibus sat superque innotescit, quandoquidem verò hæc febres ob vehementiam symptomatum supervenientium, ipsâsque concomitantium, ubi per causam morbificam natura acriùs aggreditur, haud rarò plures alios morbos, eòsque acutissimos repræsentare solent, ita quidem, ut inter innumera illa accidentia accessionibus aliàs febrilibus associabilia unum aliquando taliter sæviat, ut non rarò vita hominis in summum deducatur periculum, cùm secundum diversa febrium stadia modò genus nervosum infestetur, quo mediante ætus in motus irregulares concitantur, quibus non tantum infinitæ affectiones spasmodicæ & convulsivæ succedunt, verùm etiam liquorum circulus ob inconsuetam il-

tam

lam pressionem & vasorum strictionem sæpissimè inhibetur, modò M.S. adeò exæstuat, ut jam propter nimiam vasorum distensionem, vel etiam humorum resolutionem, & hinc colligationem maligna sæpè sæpiùs ac funesta exsurgant symptomata, quæ sic sese aliquoties extollere queunt, ut inde typus penitus abscondatur, ac opprimatur, ita ut nec pulsus, temperies nec ☐æ febrilem quandam exacerbationem commonstrent, quod etiam in ipsissimis continuis malignis sæpiùs accidisse Hypocrates suo tempore notavit; hinc etiam minimè mirandum, pharmacum hoc nostrum polychrestum remedium contra infinitos morbos (quos hîc specialiter recensere nimis longum foret) fuisse deprædicatum, uti apud divini hujus medicamenti patronos videre licebit. Ast in illius exhibitione summâ agere cautellâ opinionis sumus, ne morbus essentialis cum symptomate, & econtra confundatur, expectandam igitur potiùs unam vel alteram esse periodum, etiamsi posthabito fermentò febrili primò statim insultu symptoma vehementissimè urgens remediis propriis incassum tentetur, cùm à primo vel secundo febris paroxysmo (etsi vera intermittens aut remittens maligna foret) vix ullus ob vires adhuc constantes ac pro refocilatione intervallum relictum, interimitur, quod tot febrium inter-sive remittentium perniciosarum & epidemicè grassantium descriptiones apud Wilisium, Sydenhamium, Tortum & quàm plures alios abundè testantur. Sed absit hystorias è tam dissitis petere provinciis, si febres, earumque exortus & eventus Anno 1719. & 1720. Austriam pervastantes in recenti adhuc extent memoriâ, itaque nisi post aliquot horarum spatium, & majori ex parte subsequenter aliqualem excretionem sensibilem notabilis symptomatum quies observetur, quæ priora iterùm aut deteriora statuto tempore recrudescunt, corticem proscribendum esse censeremus.

§. X.

Pro Coronide tandem his palàm factis addendum superest, quòd aliis quidem adstringentibus febriles impetus coërendi facultate aliquoties gaudere non denegemus, verùm cum adstrictoriis suis qualitatibus non solum motum fibrarum contractilem adaugeant, cujus beneficio tubuli obstructi aliàs referantur, sed particulis suis nimis rigidis & acutis morboque minùs proportionatis partium solidarum motui tremulo totalem injiciunt moram, ac canales ita constringunt, ut causæ morbificæ commoda exeundi via præcludatur, sic ea nullatenùs destructa minùsque eliminata magis fixa redditur, & ultèriori cunctatione sua infirmitates febribus longè periculosiores producere solet. Ubi econtra China China ritè adhibita qualitate sua leniter stimulante causam deturbare, absorbente verò & incrassante effectum suppressere, atque inhibere potis est; hinc provenit, quòd istam in profligandis insultibus febrilibus, omnibus aliis proclamatis febrifugis palmam præripere sentiamus. His jam ita conclusis eò deducimur, ut corticem uti curatorie, sic etiam prophylacticè exhibendum esse admittamus, cum in subjecto ad febres concipiendas facile disposito (præsertim si ad tempus, quo aliàs laborare consuevit, accedat, & febres epidemicè grassari incipiant) eas recrudescere permulta extant exempla; in similibus igitur casibus antifebrile Peruvianum in corpore per se sano & convenienti exercitio habili (ne adversæ aliundè valetudini consimili sua qualitate incrementum adjiceret) in leviori quadam dosi, antequam febrium periodicarum ingrueret tempestas, secundùm rationem experiri licebit, quam præter effatum illud: *quæ facta tollunt, antè facta fieri prohibent.* Divus Cœlius passim in aphorismorum libris medicationes ad præveniendos morbos vere & autumnò præcipiens corroborare videtur.

CAPUT IV.

De Corticis Peruviani exhibendi methodo.

§. I.

Reliquum jam est, ut etiam de illis, quæ ad ultimum disertationis nostræ caput fuerunt delegata, tenue iudicium nostrum in medium proferamus. Primò igitur sese offert inter authores illa plurimùm agitata quæstio, an nempe præmissis universalibus & aliis præparantibus, an verò statim post sufficientem ac circumspectam febris cognitionem ad antifebrile præfens confugere liceat? de qua Mortonus cap. de Corticis præparatione & exhibitione ita ratiocinatur: *me quod attinet, utitur nauseâ insolitâ suadente lenius emeticum antè usum Corticis præscribere nonnunquam necessarium duxerim &c. nullomodo autem absque evidenti indicatione quidquam bonum præparationis gratiâ ministratum curationi conducere multò usu expertus sum: cui sydenhamius cap. de febr. intermitt. Anno 1661. &c. assentiri videtur his verbis: proximo loco neque catharsi, multò minùs V. S. subducenda est materia febrilis pars aliqua, cum enim ab utràque labefacteretur quadantenus æconomia corporis, ed promptius, certiusque recrudescent paroxysmi evanescente semel his vi, quæ in prima Epistola de morbis epidemicis ad Robertum Brad. repetere necesse credidit: verùm si perpendere liceat viros istos etsi in praxi minùs ultimos incognitæ febris origini occultam ad venenum febrile subigendam corticis qualitatem opposuisse, sic eorum experimentales deductiones paucos in consensum trahere valebunt secundùm illud hypocratis assertum: *iis, quæ non cum ratione sublevant, non oportet fidere.* Quare & nos celeberrimorum aliorum prædicatorum experientiis edocti, rationibùsque simul suffulti contra præmemoratos statuimus, Corticem Peruvianum*

num vix unquam absque præmissis universalioribus (nisi gravius quid & summum in mora periculum obstat) applicandum esse : unanimis enim authorum sententia materialem intermittentium causam remotiorem saltem in primis majori ex parte generari & hærere viis, refert, cui opinioni ipsius Mortoni scripta ingesta accusantia minimè contradicere videntur, quæ cap. de febr. intermitt. postquam multa de aëris vitio adduxerat, sic sonant : *¶ nullus dubito, quin à longo abusu sex rerum non naturalium hoc venenum ut plurimum intus nascatur, ut ut ab internis evidentibus causis in actum ducatur.*

§. II.

Quapropter, cùm ablatâ vel imminutâ causâ tollatur, aut imminuatur effectus, ad humores illos sub prima digestionem corruptos, & in organis huic dicatis stabulantes corrigendos, abstergendos & evacuandos diversa œina, vomitoria, vel si his quidquam contraindicet, leniora purgantia remedio huic suo tempore divino & innocentissimo præmittere oportebit, ut istud dein materia hostili non nimis obrutum eò liberiùs partes solidas stimulo suo afficere, in liquida penetrare, & sic optatam præstare possit operationem, ubi econtra dum China China præposterè adhibita ad commovendam quidem, non autem expellendam totaliter causam morbosam tunc abundantior sufficit, hypochondriorum spasmi, ventriculi & intestinorum toni dejectiones, perpetua ventris tormina, lentæ febres, cachexia, hydropes, tumores œdematosi, paralyse, contracturæ membrorum, Rheumatismi, alvi adstrictio, recidiva gravior, color icterodes, oppilationes viscerum, obstructiones mensium, hædicæ infelicissimè subnascantur, uti optimè sensit Septal in animad. inquires : adstrictis enim locis aut nobiliora membra invadent molestia illa excrementa, aut retenta in malum habitum aut hydropem laborantes ducent.

§. III.

Corpore jam ad assumptionem pro possibili præparato altera se erigit difficultas, an scilicet remedium hoc se solo, an verò aliis admixtis adhibendum veniat, cùm Corticis vis sanguinem nempe compactiorem reddens œinis vel purgantibus, quæ aliàs cum China China propinata in famosorum practicorum libris inveniuntur, resolvente ac colliquante illorum qualitate infringatur, & consequenter præexistens illa humorum dyscrasia foveatur & adaugeatur: hæc igitur ratio multos convincebat omnem medicamentorum additionem vel etiam interpositionem præter necessarium & appropriatum aliquod vehiculum interdicere; verùm vix non semper ob circumstantiarum varietatem circumspectâ egemus distinctione, nam si latera à primarum viarum viscosa quadam saburra debitam humorum distributionem impediende obducta esse suspicaretur, febrisque tamen ita urgeret, ut æger relictis adhuc induciis ingruente quodam paroxysmò grave mortis periculum sustinere cogeretur, sic pharmaco huic alia abstergentia, incidentia, imò aliquando & evacuantia in tali quidem dosi adjungere vel interponere licebit, ut vires suas in viis mox dictis amittere, & virtute eorum taliter fracta in secundis contrariam haud inducere valeant facultatem: taceo dein, si alia symptomata urgentiora superveniant, ut in febribus perniciosis non rarò occurrit, quibus non nunquam acrius quàm ipsi morbo resistendum, quod sicuti in aliis affectibus, ita etiam in hoc observandum esse quotidiana nos docet experientia, quam optimè comprehendit ipsemet Mortonus antidotum suum aliàs universaliter quasi recommendans, cùm de modo & methodo præscribendi hæc habeat: *atque denique ut additamenti aliquibus, quæ vel medicamento ingratum saporem corrigant, vel symptomate aliquo vehementiori indicantur, locus detur oportunus.* Si verò perpurcato jam corpore

pore morbus tantùm essentialis labores nobis facere intenta-
ret, sic frustra aliquid adicere uti supervacaneum sic in con-
sultum duceremus; quod etiam mox citatus author, descri-
bens canon. de usu cort. ubi diversa ob symptomatum differ-
rentiam præscribenda, applicanda, & interponenda esse re-
media statuit, his ultimis verbis confirmare videtur: *consue-*
tudinis autem gratiâ, ac absque evidenti indicatione aliquid
bujusmodi imperare, irritum esse docet experientia æquè ac
ratio, perindeque Empyricò dignum potius quàm medicò, quem
omnia sua mandata ad normam rationis, non proprii arbitrii
dirigere oportet.

§. IV.

Hanc etiam ob causam ulterior deducitur sequela, quòd
cum solum propter diversam symptomatum constitutionem,
non autem pravam ac deleteriam febrifugi nostri corrigen-
dam qualitatem huic quid aliud adjungendum sit, multi etiam
frustraneâ aliqua sollicitudine corticem pro correctione variis
præparationibus submittentes, parùm utilitatis attulerint, etsi
Bado in L. anastas. cort. Peruv. dicto de infusionibus, Tincturis,
extractis, syrupis, elixiribus Θ ibus, Λ ibus, imò & ∇ is destil-
latis inde elicitis expressam faciat mentionem: præparetur
enim, quomocùnque lubet, sic particulæ illius (nisi de
ipsissima substantia aliquid communicetur) nunquam ampliùs
ita convenient, uti deceret, & hinc vel tenuiores & minùs
porosæ crassioribus & magis porosis spoliabuntur, vel crassio-
res & fixæ magis evolantibus tenuioribus remanebunt, aut
menstruo tandem mediante atque ignis tortura (quæ vix
non in omni præparatione præsertim artificialiori concur-
runt) particulæ ratione figuræ, sitûs ac inde pororum altera-
buntur, sive totalem subibunt mutationem, ut similis inver-
sionis causâ medicamentum aliàs vix fallibile levem vel planè
nullum edat effectum, quod de infusis ritè percolatis exper-
tiss.

tiff. Tortus observavit ita scribens: *Et revera solo cortice tali infusioni superflite, rejectoque ut effecto aut inutili plures agrotantes pauperes sanatos novi, cum tamen pro uno diiori vix tota quanta infusio suffecerit. Quodve mirum etiam non est, si præstanda vel planè non, vel tardius saltem præstet defectu debitæ quantitatis particularum medicamentosarum, ideoque omnibus præparandi modis corticem ratione virtutis & energiæ in substantia (dummodò in alkohol, quod ungue notandum omnes volunt, priùs redacta fuerit) propinatum præcellere putamus: in cuius confirmationem prætereundo plurima authorum scripta solus Mortonus audiatur. Audio (inquit enim) palàm affirmare multà ac diurnà experientia fretus, Chinam Chinam simplicem & in substantia exhibitam (modò in pollinem seu alkohol priùs redacta fuerit) certius ac compendiosius vires suas exserere, atque finem optatum attingere, quàm si multa arte aut Δ e torqueatur, ac nativis viribus spoliata more pomposissimo exhibeatur, adeò ut in illis præparationibus ϕ . & opera perdatur, neque cuiquam author ero, ut nugæ huiusmodi captando atque reapse nihil efficiendo temporis pretiosissimi jacturam faciat. Alibi pariter idem inculcat his verbis: febres sanè substantià corticis citius ac certius quàm quacunque speciosissimà ejus tincturà, extractò, velelixirè fugari atque fugatas ad recidivationem minus aptas esse certò certius constat.*

§. V.

Cæterum licèt substantiam præparatis præoptemus, horum tamen singulis vim & energiam suam, quam habent (siquidem ex eo tincturæ parantur non rarò admodum efficares, extracta pariter tam simplicia, quàm composita, pro ratione menstrui & modi conficiendi non parùm activa) nulloatenus præripere cogitamus, imò non nunquam non tantum non reprobare, sed tanquam speciali industriâ pro diversa medici intentione (scilicèt vel ut sensiles & nauseabundi, præ-

præjudiciis que in corticem præoccupati ventriculi honestè decipiantur, vel faciliùs assumantur, aut ut additamentis aliquibus, quæ sive medicamento ingratum saporem corrigunt, sive à symptomate aliquo vehementiori indicantur, locus datur amplior) excogitata ipsi substantiæ præferre cogamur : interim quò simpliciora minùsque immutata hæc sunt, & quò plùs substantiæ participant, eò validiora & efficaciora sint, oportet. Test. doctissi. Plegnio: *porrò me judice simplicissima præparationes, & quæ minùs artificium redolent, omnibus præferendæ sunt.* Cùm igitur & præparationum & compositionum usualium ob excellentem simplicis substantiæ virtutem non tam magna habeatur differentia, sic earum formulas hîc adducere superfluum censuimus) præcipuè si sufficientissimas apud prænominatum Plegnium pandentem arcana Talbotii, Padum, Charas, Donzellum, Helfetium, Lemerum, Löw, Sturmium, Rolfinchium, Weinhart & alios invenire liceat.

§. VI.

Inquisitâ jam præparationis methodò quæri meritò poterit, quo denique morbi tempore antifebrile hoc exhibendum esset, cùm primi in nostris ∇ is corticis fautores paulò antè accessionem ægris suis eum largiori quidem dosi subministrârint, verùm cùm tunc matetia febrilis ad turgentiam jam usque vix non pervenerit, quæ dein (si mediante intrinsecâ illâ fermentatione, quæ febrifugo quidem sopita jacet, pro secretionem non præparari, minùs subigi queat) ad partes nobiliores nudè, crudè apportata summas excitare molestias apta nata est. Utî Grugerus in Obser. quadam lipothymiam à $\frac{3}{4}$ corticis ante paroxysmum exhibitâ notavit. Item Sydenhamius ille observator accuratissimus in method. curandi feb. chinâ chinâ ante paroxysmum datâ è medio quendam sublatum fuisse memorat. Quapropter alienis periculis cautiores facti medici more prudentium mutârunt consilium

filium & finitâ in integrum febris, vel si perfectam intermissionem (sicut in remittentibus, subintrantibus & perniciosis accidere solet) nunquam attingeret, binis horis post inceptum declinationis stadium competenti dosi languentibus suis subvenire tentârunt, quam singulis bi- vel trihoriis, imò etiam longiori relictô interstitiô secundùm differentem inter- vel remissionis moram, usque ad duas ante noviter advenientem insultum horas repetere consueverunt, *cùm tutius sit Torto ita judicante hostem fugientem febrim nempe à tergo insequi, quàm venientem aggredi à fronte.* Cui sententiæ eò libentiùs subscribimus, quò fundatiùs etiam rationes pro hac militare concipimus, desideratissimò enim hòc medicamentò digestio promovetur, stagnatio humorum vitiosorum prohibetur, viscera corroborantur, glandulæ, vasæque lactea levi adstrictione afficiuntur, ut nec impuros succos fundere, neque indigestos imbibere liquores, & ad massam communem devehere possint, & sic materia fermentum febrile aliàs constituens in suo exortu statim vel præpeditur, aut corrigitur, vel per vias excretorias planè eliminatur, quæ fusiùs descripta ac remonstrata Cap. 2do. habentur.

§. VII.

Quod quantitatem jam porrigendam pharmaci hujus cernit, etsi quædam differentia antiquiores inter ac modernos observetur, si verò non tam extensa illius materia, quàm formalis contenta virtus observetur, non multùm inter se discrepare videtur, cùm id, quod illi ob sinceram ac genuinam corticis qualitatem zij præstârunt, hi propter adulteratam & spuriam ejus substantiam aliquoties tot zijis assequi coacti fuerint. De quo sæpè memoratus Mortonus adducendo etiam aliorum testimonia non uno tantùm in loco conqueritur, quam ob causam à duratione solùm, febrisque sævitiâ petenda est distinctio, si enim non nimis intensa, ac verè inter-

mittat

mittat, ʒʒ simpliciter propinata (vel si præparata esset, tunc diætæ portioni vi sua æquivaleat, oportet) sufficere potest. Sic ubi grave quoddam recrudescente paroxysmò timendum foret periculum, ascendendo non nunquam ad ʒʒʒ vix scopus attingi poterit; hinc etiam omnes quasi hac de re scribentes fatentur, quòd simili in casu peccare excessu haud possibile sit, cùm adhibendo ʒj vel etiam ʒʒʒ pro dosi modò in priori §vo descriptò denominatam Corticis partem assumere breve admodum inter-vel remissionis spatium non rarò nec admittat, ita ut insultu febrili imminutò quidem, minùs autem profligatò futurò symptomatum interstitiò residuum præbere, imò unam vel alteram dosin adjicere necessitate premamur; febrilandem ita subactà ad recidivam (quam ægri sæpiùs incurrere solent) impediendam singulis septimanis ʒj deglutienda erit, donec recuperatis iterum prioribus viribus temporis, aërisque mutatio (quæ in febribus etiam pertinacissimis debellandis recommendatur) suam ad sanitatem conservandam opem contribuat : si tamen omni adhibità cautione febris ob intimè impactam causam morbificam præter expectationem sæpiùs repullularet, sic perspicacissimi Sydenhamii consilium amplectendum, quod in prima sua Epist. sic sonat : *animadvertendum autem, quòd si æger non obstante abundanti cautela superiùs traditâ nihilominus recidivam patiat, tamen prudentis medici erit, non nimium pertinaciter insistere methodo corticis per dicta intervalla exhibendi, sed pro suo judicio aliis modis curationem aggredi.*


§. VIII.


Remonstratis jam his, quæ circa corticis adhibitionem majori ex parte notanda veniebant, unicum adhuc superesse videtur, nempe de diætæ regimine durante Chinæ-Chinæ applicatione tenuè judicium nostrum palàm proferre. Voverunt enim nonnulli, eam in lecto victu utente tenuissimò assumendam esse; verùm si medicamentum hoc motum

67-218
Med. claus.
17-11

partium solidarum (quas spiculis suis leviter afficit) oscilato-
rium excitare, intestinum verò fluidarum (quas sua commu-
nicatione incrassat, atque compingit) adauctum suppressere
soleat, nemo, ut opinor, erit, qui non moderatam potius
motionem (si ægri vires sufferant) quam quietem imperare
præoptabit. Cum per illam pharmaci distributio promo-
veatur, sicque citius ad exercendam virtutem suam perveni-
re valeat: quod autem ad ciborum tenuitatem pertinet, cum
patiens in ipsa exacerbatione delinquere possit, Mortonus
contrarium censet his verbis: *durante Paroxysmo regimen febricitantibus debitum ægro imperetur, delitescente autem veneno in paroxysmorum intervallis sicuti victu quocunque euchymo carnibus non exceptis ad vires resarciendas laute & copiose agrum nutrire licet*; ast eum ob circumstantiarum diversitatem diversimodè cibandum, sic nec unum, nec alterum generaliter statuendum erit, sed ab Hypoc. L. 1. aphorismis normam cibandi præcipientibus in febribus præsertim per accessiones recurrentibus edocti cum Clariss. Torto consentimus, qui L. 1. c. 7. sic scribit: *quoad modum dietandi agros tempore febrifugii oblari, ego, quidquid aliis placeat, eandem servari jubeo victus rationem, qualem pro ratione febris ante corticis usum præscripseram servatò congruò semper intervallo inter cibum atque remedium, quemadmodum in aliis quoque casibus mos est, ut scilicet purior, quantum fieri potest, ac impermixta deferatur, quod tendit substantia remedii: quæ L. 3. c. 3. similiter confirmare placuit: circa hoc tamen illius non sum sententiæ, ut cum nonnullis credam, crebrum & pleniorum ciborum usum conferre Cortice utentibus, imò cum permixtio medicamenti cum cibis apud me sit semper suspecta; quod enim purior & simplicior permeat chyli vias substantia remedii, ed activior & validior est, satius duco, quodd ea serveatur victus ratio, quæ congruit natura morbi.*

F I N I S.





J726

W959d

